

DE
VIRIBUS CORPORUM IN SPECIE.

§. I.
 DE FLUIDIS.

1. Fluida quaevis sibi relicta componunt sese ad libellam: 2. Pressio fluidorum in eadem sectione horizontali in omnem partem aequalis est: 3. Fundi vasorum, sive uni- sive difformia fuerint, non pro ratione contentae massae, sed in ratione composita basium & altitudinum perpendicularium premuntur. 4. Fluida igitur homogenea in tubis communicantibus in aequilibrio erunt, quando altitudo utrinque eadem: haeterogenea vero, cum altitudines fuerint reciprocae, ut gravitates specificae. 5. Hinc ulterius deducimus leges pro immersione solidorum in fluida. 6. Recedunt ab his legibus tubi capillares, in quibus fluida ultra libellam adtolluntur respectiva vitri adtractione, qua istud vincit mutuam fluidi adtractionem. 7. Fluidorum notitiam insignis utilitas, in variis corollariis practicis a nobis exponenda, commendat.

§. II.
 DE LUMINE AC COLORIBUS.

1. Lumen derivari ad oculum nequit per Cartesianum aetheris tenuissimi oceanum, sed per exillissima ipsius lucentis corporis effluvia, e corpore lucido quaquaversus emanantia. 2. Propagatio luminis celerissima, omnino tamen successiva est. 3. Intensitas ejus in recessu a puncto radiante decrescit in ratione inversa duplicata distantiarum. 4. Reflexio non fit in solida corporis opaci superficie, sed tam reflexio, quam refractionis lucis oritur ex virium differentia, qua diversae naturae aut densitatis media in radium agunt. 5. Quivis lucis radius in primigenia sua stamina separari potest, diverso refrangibilitatis gradu inter se differentia. 6. Hujus diversitatis ratio non in primate refringente, sed in ipsis staminibus diversaeque eorundem velocitate repetenda est. 7. Alia nullatenus praetereunda luminis proprietates sunt vices facillioris transmissionis & reflexionis. 8. Ex his tota naturalium colorum theoria pendet; dependent nimirum a determinata tenuissimarum lamellarum crassitie, qua fit, ut hujus